Epistola 292. GULIELMO ANSLARIO IOHANNES COCCEJUS. 599

Mi charissime gener.

Mitto tibi libros, quos tu jussisti emi. Eorum precium hoc est. Albertinus est 10 st Eusebius 13-13. L'Empereur Abarbenel 6 st Moses Kimchi 4 st Adami vita Theologorum 1 f 17 st. Summa est 20 f 17 st Spero, tibi et libros et precium placiturum. Mittimus etiam 4. sellas, quas uxor donat uxori tuæ. Emeramus eodem exemplo quatuor, quæ placebant. Visum est filiabus, sorori suæ eas non ingratas fore. Miraris, quare non veniant. Ventus non favet. Et scis, volentibus proficisci Gocsam rationem itineris non esse satis expeditam. Nuper visitabam Collegium. cum D. Cabeliavius de te rogarit, et significarit, utile esse, ut aliquando audiaris extra locum tuum. Non esse computrescendum in pago. ~~Leo~~ Christianus Wittewrongel Brielam vocatus est; ut puto, ope duorum triumvirorum superstitum. Petrus Wittewrongel Beresteijnium accepit. Hinc abit D. Hasius. Subrogatus adhuc nullus factus est. Diestius etiam à me petiit, filium suum commendari. D. Momma huc reversus est. Ei ~~Goilius~~ dixit, de ipso sermonem fuisse ingratiorem inter pastores illius loci. Sibi quidem non displicuisse ipsius concionem olim Amst. habitam. Monere tamen, ne a se petat suggesti usum, ne cogatur negare. Potius sisteret se consistorio Amsterod. ad purgationem. Quæsitor dedit ad me literas, dissimulato nomine suo. Eæ sunt modestiores epistola Maresii. Maresius hic fuit, et mihi occurrit ex Academia domum eunti. Post sermones paucos, cum rogaret, an haberem, quod sibi commendarem, dixi, Servemus concordiam. Ille, per se non staturum. Ego, Initia non sunt satis bona. Ille, nullam esse in se culpam. Ego, Deus novit. Cum quo dicto discedebam, ~~ea~~ et ille progrediebatur. Audivi eum dicentem, Deus novit. Perturbatior ~~eram~~ paulo et loquebar non calide. A me ad D. Heidanum ivit. Ibi conquestus est, me iracundum, et frigide se excepisse. Heidanus eum reprehendit. Promisit, se quieturum. Invitatus in posterum diem ad prandium, cui ego quoque adhiberer, negavit se manere posse. Quando vos videbimus? Filiaris aliqua scribet de suo itinere. Sic sunt ista. quid facies? Deus vos incolumes esse velit. Salutamus ex animo parentes ~~vestros~~ tuos. Valete. Lugduni d. 28. Maij 1663

T. diligentissimus

Joh. Cock

[Left margin, vertical:] Uit te laeten.

[Left margin note:] uit te laeten — Cabeliavius dicebat ... suum vicinum aut collegam petivisse se commendari d. de Noortwyck. De eo tamen ... sperum ... esse.

Reverendo et doctissimo
viro D. Guilielmo Ars-
laer V. D. M.

Bisschoppen

Middelburg ten huyse van
M. H. Jacobus Arslaer
bedienaer des Godlicken
woorts met een pack
GA ende 4. stocken.

N 19